

Cc 432

γ Knesobcon, Roma, Temp  
et Latinius

meds 24 - 18]

Cc 432 a (1-21).

PK

THESES

DE RECTA  
RATIONE INSTITU-  
ENDAE IVVENTVTIS  
SCHOLASTICAE QVAE DOCEN-  
te & ducente Deo publicè di-  
sceptabuntur:

P R A E S I D E  
*M. VVOLFGANGO*  
HEIDER O:


R E S P O N D E N T E  
NICOLAO PETRÆO

HVSANO HOLSATO:

Ad XXVI. Ianuarij tempore &  
loco conuento.



I E N AE  
TYPIS TOBIAE STEINMANNI,  
ANNO 1594.



Wolfgang Heider



O R N A T I S S I M O E T  
integerrimo viro Dn.

BERNHARD O HEIDER O  
CIVI ET NOTARIO PUBLICO  
FRANCOFVRTI AD MOENYM P A T R V-  
eli suo charissimo, grati animi qualem cunq;  
significationem editurus

H A E C

*Pro multis paucula  
Pro magnis parvula  
Pro aureis aenea  
refert & offert*

M. VVOLFGANGVS HEIDER  
Profess. publ. Acad. Jenensis.



DE INSTITUTIONE  
SCHOLASTICA.

THEISIS L.

**V**aritur, pueri, adolescentes, iuvenes  
quaratione prudenter institui possint. & felici-  
citer informari?

2. Quæstio cuius ostentacio nulla, sed nece-  
ssitas maxima, sicut ipsius rei difficultas summa.

3. Ostentatio nulla: quia operum fastigia apparent, fun-  
damenta latent.

4. Necessitas maxima: Fans enim & radix virtutis &  
eruditioñis omnis est institutio proba, præsertim si tenella etati  
adhibetur.

5. Sapores, quibus nova imbuīs, durant, nec lamarum colo-  
res, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Natura  
sumus tenacissimi eorum, que rūdibus annis didicimus.

6. Difficultas summa: Est enim res hæc præclara erudi-  
tionis, eximia prudentia, multæ virtutis, laboris maxime, & in-  
finitarum propè molestiarum. Sed ad rem Ævū dicoq[ue]m.

7.

Aristoteles 6. Eth. cap. 9. in Œconomia requirit finem bo-  
num, & media, quæ honesta simul & tempestiva sint.

8. Ad hæc duo capita non incommode audovōpes redi-  
gere possumus officia.

9. Finem sui laboris honestum sibi proponet, & media  
quæ hanc ad metam compendio ducant, sollicite querat, & es-  
ligat.

10. Finis ille vel propinquus est, vel remotus.

II. Propinquus alumni virtus, sapientia, eloquentia.

A 2 σύνε -

σύνεσις n. Ἐδύναμις ἐργανεύσική sine morum integritate nihil sunt aliud, quam consulta multis è fraudibus malitia.

12. Et Philosophus μεχρὶ τὸ λέγειν, αὐτὴν πρότερον περιυστορίαν quidem are, aut vitiosa nuce redimendus est.

13. Remotus salutem Ecclesiae, commoda Reipubl., communionis inter homines conservationem, & Dei gloriam, quō nobis & benē dicendi, & recte faciendi consilia referenda sunt, complectitur.

14. Non est Praeceptoris ocium sectari, voluptates quaerere, aucupari diuitias, popularem auram captare.

15. Hac si quis concupiscat, non is se pulveri committat Scholastico, sed vel sibi vivat, vel artes fænebres exerceat, vel Rempubl. capessat.

16.

Media quæ hos ad fines destinata sunt, τύπων γὰρ παχυλῶς in docentis προσκείμενα, & officij quod gerit εὐεγγύματα disperpare possumus, quorum hac tamen ab illis pendent.

17. Προσκείμενi docentis vel ad Διανοητικά, vel ad ὀγκώδεις virtutes referenda.

18.

E dianoeticis Ludimoderator à sapientia & prudentia vel maximè paratus sit.

19. A sapientia: ut quæ traditurus est ipse didicerit. Quam quisq; norit artem in hac se exerceat. Ad opificiorum magisteria non nisi texvitur solent admitti: quanto magis ad augustissima scholarum παιδείαν non nisi peritiores accersendi.

20. Quid sui cum amaraco? quid indoctis & imperisis cum cætu generis humani lectissimo?

Ludere qui nescit campestribus abstinet armis,  
Indoctusq; pilæ discive trochive quiescit.

21. Non est asini tractare tyram, non sutoris ultra crepidam ascendere, non fabri ultra malleum loqui.

Hi

22. Huius magistelli si in scholas, ut in balneum canis irrumpant, non tantum ἄγνοιαν καὶ ἀποφασίν in discentium animis relinquent, sed illam etiam qua nātā πλάθεον est incautioribus obtrudunt.

23. A prudentia: ut sciat & quae tradenda puerū, & quomodo tradenda, ne vel auro σκύβαλα praferat, vel per ambages contendat eō, quō rectā via devenire liceat.

24. Virumq; si quis ignoret, is abijciat ferulam scholasticam, & rastros ac ligones arripiat.

25.

Ex virtutibus Ethicis sanè quam multas in Doctore querimus & requiri mus: ut & pacare suum munus obire, & graviter exemplo suo discentibus praire possit.

26. Si quid agere serio velis, ut quieto sis animo necessum est. Consistit vero per virtutem animus: at per vitia non secus quam per ventorum flatus mare fluctuat, debiscit, intumescit, astuat, & turpis simas sordes eiecat.

27. De vi exemplorum probè Claudianus:

---

Nec sic infletere sensus  
Humanos edicta valent, quam vita regentis.  
Contra verò qui bene docet & male vivit, is quod una manu construxit, illud altera destruit, & demolitur.

28. Negantum praeceptores vitia sua discipulis quasi labem quandam aspergunt, sed eosdem etiam obiurgare sine pudore & rubore, non possunt.

29.

In primis verò docentes sibi cura patientur esse pietatem, qua & sapientia & felicitatis omnis initium est & fundamentum.

30. Omnia prospere eveniunt colentibus Deum, spernentibus adversa.

31. Impietas lata quidem est inceptu, sed inquietaprogressu, calamitosa exitu.

A 4      Idem

32. Idem suæ concreditos fidei ut liberos ex se natos amet. Ego non modo quod aiunt Graci psonum didicere, sed etiam labores & molestias omnes reddit leviores, & quidquid habent amaritatem gratissima dulcedine quasi diluit.

33. Eum quem oderis sine tædio nunquam erudire poteris. Ex tædio fastidium oritur, ex fastidio negligentia tandem nascentur.

34. Interim verò magister puerorum unicè dabit operam ut egius suo discipulorum aut egius vicissim respondeat.

35. Si odiosus & invitus sit discentibus, in mari sementem certò faciet, & operam simul ac oleum perdet.

36.

Anima institutionis recta fides est pugnare deos ut loquamur cum Theognide, quæ nihil simulat quod auditoribus obfuseturum sit, nihil dissimulat quod profuturum.

37. Sic enim animatus esse debet us, qui aliena moderatur studia, ut si unius semihora spacio suam eruditionem in discipulos effundere possit, omnemq; morum honestatem ijs quasi affricare, nihil laboris reformides, difficultatis recuet, molesta detrectet.

38. Qui semper deis & av cupiunt, & discipulos rudiores amant, doctores oderunt, (sicut multos hac tenet intemperies) ad boum illi greges & porcorum haras amandandi sunt, ubi nihil est quod auctoritati sue metuant.

39. Arbores proceriores arbustulas in propinquo nascentes extinguere solent, & quasi suffocare: sed praeceptorum est succrescentem alumnorum virtutem & sapientiam favere, altere, erigere, excitare.

40. Huius loci quorundam inuidia, qui discentes ab ijs prohibent & fraudulenter arcent, quibus ipsi cupidissime frumentur, & qua instar Aesopica Cormicula expulsi in reperatissime.

S1831-

41. Similes padagozo Sybarite, qui cum puer, quem manu ducebat sicum humi iacentem tolleret, acerbissime parvulum ebiurgans ipse sicum arripuit, & devoravit.

42.

Sed nihil fides sine labore, assiduitate, vigilancia, diligentia, quae in padorribus non mediocria debent esse, sed propè dixerimus suu ma.

43. Ager quamlibet fertilis sine cultura fructuosus esse non potest: multo minus animi bona cuiquam ariego & ariago contingunt.

44. Abigantur à scholasticorum alvearibus ignavisi, glires somnolenti, & pingues è petago vituli.

45. Praeceptorum Hesiodi similem esse volumus h. e. virum durum, & hirsutum, & mulum Solem in corpore ostendentes.

46.

Idem non facile se commoveri patiatur ad iram, in qua inhibrationis & moderationis.

47. Ira non differt ab insanianis nisi mora temporis ut aiebat Cato, quam ob causam Architas villicum, Plato puerum, quod essent irati, castigare noluerunt.

48. Οργίλοι, πηνεῖοι, χαλεποὶ nihil inter pueros aliud efficiunt, quam in hortulorum floribus austri, in fontibus apri.

49. Et hoc quidem est causa quod solertiores & ingeniosiores minus ad scholarum Διατριβῶν apri sunt. Decent iracundius, & laboriosus, & discruciantur, cum id tardè percipit virdent, quod ipsi celeriter arripuerunt.

50. Ne canes quidem aut equi subigi possunt ab ijs. & domari, qui minis, fustibus, & scuticis in eos saviunt & debachātur.

51.

Denig, pulve rem scholasticum, inventutis padorem, sordes, nugae, petulantiam & τὸ συγγενῆς τοῦ νερῆς sole-

1478

rare posse est, qui scholarum in umbraculis vitam agere velit.  
Nec enim aliud huius ab acutula moribus, & his a laboribus ex-  
pectandum.

52. Procul hinc faceant illi delicatuli, qui in pulicis mor-  
su Deorum opem inclamant: absint illi molliculi, quos si offen-  
das paullulum, cum Achille voluntur in luto, cum Augusto  
capita parietibus illidunt, cum Lycambe ad restum confugiunt.

53. Et haec quidem de praecipuis magistrorum p̄ceptis p̄m̄eis:  
nec enim opus ut speciatim virtutes enumeremus omnes. Dein-  
ceps ad officij c̄regyñata accedemus.

54. Hac ipsa quoq; per qualem cung; diximus in duo genera  
tribuemus. Velenum quid docendum, vel quomodo praeceptor  
advertis. 55.

Lacane suos olim liberos non aqua sed vino lavabant:  
pueris non diluta, ieiuna, frigida, levia, tenuia; infusifera  
sunt inculcanda, sed quae gravissima sint & utilissima, & ex  
his etiam selectiora. Non enim emas quod opus, sed quod necesse  
se est, inquit Seneca.

56. Olim literis, gymnasica, Musice, & pictura dabant  
operam, quas artes uti vehementer, si iungantur sobrie, proba-  
mus, ita non omnes ad scholarchas nostri temporis pertinere  
dicimus.

57. De literis illi solliciti sunt, in quib. lectissima quāg; sive  
gewiā sive p̄āz; sp̄temus, condere debent & promere.

58. Nec enim vicitandum tollo, tam vili critico: &  
gemma si nobis suppetant quid opus ut vitro fallamur, & fal-  
lamus?

59. Neḡ verò tantum eruditiores, sed etiam meliores su-  
os reddere discipulos concutur, & ad virtutes omnes, quae ne-  
cessaria sunt, in primis tamen ad pietatem, verecundiam, tem-  
perantiam, assiduitatem, & seniorum observantiam conuera-  
tiani.

60. Agest-

60. Agesilaus & Aristippus ea dicebant pueris esse di-  
scenda, quibus viri quondam, & senes uti possent. Nec enim  
tam in principijs, quam in postprincipiis studiorum nostrorum  
utilitas apparet.

61. Ineptissimum est scholis tantum docere & discere,  
non autem vita, & scientijs tantum ad sciendum, sicut avar-  
ri numis ad numerandum uti.

62. Literarum autem studia dirigere in iuventute, sed  
mores non corrigere, quid aliud est, quam in vas impurum  
generosa vina transfundere, & furiosis arma nocendi præbere?

63.

Deinde caveant docentes, ne pellantur è scholis vetera,  
surrogentur nova: non quod nulla sit ingeniorum nostri tempo-  
ris felicitas, sed quod maior superiorum.

64. Benè Plautus: Qui libenter utuntur vino vetera sapi-  
entes puto, & qui libenter veteres spectant fabulas. Cornicu-  
m oculos configere semper stultum fuit habitum.

65. Malè consulunt reipublica literaria, qui è discentium  
manibus auctores, qui tot retro seculis benè tulerunt etatem,  
excutiunt & tyrones à via regia, ad nescio que diverticula  
abducunt, praetextu compendiosa doctrina, quam probamus  
quidem, sed unam & solam non probamus.

66. Neḡ tamen reducimus quāt̄os ē̄pha Pythagoreorum.  
Inepti sunt, qui vetera probant tantum quia vetera; sed nova  
repudiant tantum quia nova. Scimus in philosophia non quis  
dicat videndum, sed quid dicatur attendendum.

67. Interim circumspice, ne nubem arripias pro Iunone:  
ad pœnitendum properat, cito qui iudicat.

68.

Denig, cum non eadem aquæ conveniant omnibus, opera  
vel maximè danda, ut discipuli sibi, hoc est sua indoli & etati,  
suisq̄ fortunis & vitæ quam acturi sunt olim, consentanea per-  
cipiant.

B

69. Ad

69. Ad Poesin eos cogere, qui à studijs amænioribus abs horrent, ad Iurisprudentiam, qui fore strepitum ferre nequeunt, ineptissimum est, & pernicioſſimum.

70. Nobilium & Principum liberos, qui cum imperio quondam futuri sunt, in scholasticis Logicorum & Physicorum argutijs detinere, prorsus ἀλογον & μαλαιολόγον.

71. Si fundamenta suorum studiorum locarint, non in aliarum disciplinarum maria se demergant, sed artes parendi & imperandi Politisen, Historias, religionem, Iurisprudentiam probè perdiscant.

72. In his enim maximè locum habet illud Neoptolemi Enniani: Philosophandum sed paucis, nam omnino haud placet.

73.

Modum docendi quod attinet, is vel ad rerum intelligentiam & memoriā facit, vel ad excitandam & alendam diligentiā conductit.

74.

Ad intelligentiā & memoriā primò quidem, si q̄ docenda fuerint, doceantur breviter sine tempore & sumptuū dispendio.

75. Ars longa, vita brevis: & serō pervenit ad metam, qui primis in spaciis haret diutius.

76. Optimè Lyricorum optimus Horatius:

Quidquid præcipies, esto brevis, ut citò dicta  
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

77. In his etiam omnibus πρὸ μηδὲν ἀγαπῶν probandum, & ca-  
vendum, ne dum brevis esse laboras obscurus fias.

78. Festinandum itaq;, sed tamen interdum lente festi-  
nandum: & prudentissimè Cato: sat inquit citò, si sat bene.

79.

Eadem de iisdem more Socratico, si quidem vera sint, &  
commode tradita: semper repetenda,

80. Zaleucus apud Stobaeum, Lex inquit, si bene non habeat,  
meliorē informam redigatur: confirmatis & permanentib.  
omnes obediunto. Idem de liberalibus disciplinis iudicium esto.

81. Hac

81. Hec oup̄avia plurimū consert, & ad certitudinem intelligentia, & ad memorie firmitatem.

82. Qui res easdem repeatant, sed aliis verbis, & ordine leviter mutato, nihil illi dignum admiratione præstant (quid enim mediocriter eruditio facilius?) & interim tamen dissentib., quasi alia subinde promantur è penus suo divite, fucum faciunt.

83. Similes hospiti Chalcidensi, qui cum plurima fercula carnium, quo tempore omnia nive tecta erant, apposuisse, & ferina copiam T. Quintius miraretur: tum ille respondit, ea omnia nihil aliud esse, quam suis domesticæ carnes, tantum apparatus & conditura diversa.

84. Consuetudo pestifera: cum labores dissentibus mirum immodū augeat, & ijs qui vitulum nequeunt ferre bovē imponat.

85. Quin & Academia quas vocant, & triviales scholæ debebant mutuas tradere operas, & in res easdem, hic tamen brevius, illic uberior explicandas quantum eius fieri potest, amicè conspirare: ne in illis de discere cogantur pueri, quæ in his magnō cum labore didicerunt.

86.

Præterea summa quæ fieri potest, cum verborum tum rerum perspicuitate explananda sunt omnia.

87. Docentes enim intelligi cupimus, quod cœgycia facilimè consequemur.

88. Graphis & scalpis librariis configendi sunt illi, qui ἐπονότον Heraclii, si non ore proferunt, tamen animo conditum circumferunt.

89. Si quis suam celare velit sc̄ientiam, id tacendo potius, quam loquendo consequetur.

90. Huiusmodi gymnasia, quid aliud sunt, quam balnea, in quibus sordida ministrantur aquæ? Si excess, aliis opus, quibus ablucere. Ab hoc magistro si discedas quarendus sagax quispiam Themistocles, qui illius Apollinis in vidi σχέλα responsa interpretetur.

91. Minus tamen illi peccant, qui non tam voluntate, quam  
vel naturae, vel institutionis vitio caliginem rebus offendunt:  
quamvis interdum & harum obscuritas omnem explicacionis  
perspicuitatem respuat.

92.

In omni quidem vita, sed maximè tamen in republ. literaria, nihil ordine pulchrius, nihil fructuosius. Nam & ipse  
via est intelligentiae, memoria magistra.

93. Ordine verò digerentur omnia, si tempus, quod stu-  
dijs impendendum, recte distribuatur, in preces, lectionem, au-  
ditionem, scriptionem, memoria exercitationem, cibi sumptio-  
nem, & quietem.

94. Deinde si cum in κυκλοπαιδίᾳ universa, tum singu-  
lis in artibus à facilitioribus ad minus facilitia, à notioribus ad  
minus nota descendas. Sic nutrices infantulos primum liquore  
lactis, & pultibus, ac præmanso alunt, si firmiores evaserint, du-  
riores cibos, & solidiores ingerunt. Sæpè tamen plura coniun-  
gere non inutile: særissimè necessarium.

95. Illud saluberrimum discentibus, si qui docet, usum an-  
tecedentium in sequentibus commode possit demonstrare.

96. Confundere tempora, & liberales disciplinas ordine  
præpostero tradere, maxima fundi literarij calamitas.

97.

Repetitiones, quarum tenacissimi erant Gymnosophistæ, in  
scholis etiam atq; etiam retinenda sunt, cum nihil probè cognosci possit, nisi eadem quotidie audiamus, dicamus, & ad usum  
in vita transferamus.

98. Lapidæ cavantur guttularum assiduo lapsu: Silices  
formicarum pedibus atteruntur: quid ni animus toties iterata  
doctrina subigi possit, & expugnari?

99. Eruditi sunt, qui res scitu dignas animi tabellis in-  
sculptunt, non qui pagellis chartarum illinunt, quas unda cum  
literis

literis Socrates propter multorum negligentiam obesse posuisse  
memoria, quam praeesse dicebat.

100. Repetitionum verò multiplex ratio: Quæ tradita sunt  
auditoribus ea subinde viva voce reposcere laboriosum est do-  
centibus, sed discentibus utilissimum.

101. Quæ celeriter prætervolant oculos, ea visu percipi non  
possunt: nec animo concipi, quæ semel audiuntur breviter, &  
leviter ediscuntur.

102. In primis ad illam consuetudinem Pythagoreorum &  
Catonis invitandi sunt adolescentes, ut vesperi quietem capiu-  
ri semper in memoriam sibi redigant ea, quæ interdiu legerint  
audierint, dixerint, fecerint. Firmissime hærent ea, quæ com-  
mentationibus alijs non turbantur.

103. Quin & disputationum συζητήσεις plurimarum sunt  
feraces utilitatum: si tamen non de rebus ludicris inexplicabi-  
libus alienis: sed de serijs, facilioribus, & proprijs instituantur.  
Si non inanis gloriola, sed veritatis gratia celebrentur: Si di-  
ialectice sint, & accurate, non Sophistica & Sycophantica.

104. Si amicæ, placidae, quietæ, non tumultuose, clamosæ, ma-  
ledicæ: si studiorum ἱδύτματα potius sint, quam ἐδέσμωτα: si ar-  
tium quarumlibet cognitionem saltē mediocrem non tam  
antecedant, quam sequantur.

105. Ad repetitiones exercitationem Styli referre possumus,  
qui optimus & dicendi & sapiendi magister est.

106. Ab hoc ipso potissimum originem ducat extemporaneas  
loquendi facultas: secus vanaliquacitas erit, & inanis gar-  
rulitas.

107. Absint ab utroq; verba non tantum peregrina & bar-  
bara, sed etiam obsoleta & decrepita, quæ vix Evandri mater  
intelligat, nisi parcer tanquam Emblemaria quadam interdum  
libeat intertexere. 108.

Vi autem in discentibus φιλομάθia conservetur, & φιλη-  
xonia magna docentium opus circumspunctione.

109.

Arceant ab alumnis prava sodalitia: quibus optima quæsi siderantur ingenia: semoveant voluptates, quæ malorum omnium sunt esca.

110. Si cum clando habites claudicare disces:

Dum spectant laesos oculi laeduntur & ipsi,

Multaq, corporibus transiunctione nocent.

111. In voluptatis autem regno, nec sapientia, nec iusticia, nec quidquam ullius precii potest consistere.

112.

Deinde qui studiorum aquosins esse velit, ingenia noris discernere, & leite, sicuti cuiusq, tulerit indoles, tractare.

113. Quidam calcaribus indigent, alijs frenis: sunt quidam nisi institeris remissi, quidam imperia dediantr: quosdam continet metus, quosdam debilitas: ut iam omittamus alia propè innumera, quibus homo ab homine differt.

114. Hos igitur omnes sub idem mittere iugum, nihil aliud est, quam equis asinos adiungere.

115. Medicus alterum oculum ad artem suam, alterum ad decumbentis naturam vertat. Idem qui præceptoris faciendum dixerit, nihil absurdum dixerit.

116. Odio digni sunt ciudades illi, qui auditores abigere malunt, quam ipsorum captui se attemperare.

117. Nec admodum est difficile ingenia puerorum internoscere. Pythagoras solebat Φυσιογνωμονειν; Democritus indolem Protagoræ solerter è colligata lignoru[m] sarcinula colligere poterat.

118. Ut ignem prodit fumus, sic ingenium foras sermone & opere, praesertim in lusitancib[us] prorumpit,

119.

Quoscunq, tandem sortiamur auditores, illi rerum copia non sunt obruendii: neq, supra vires onerandi. Si paucula simul discas, idq, crebro facias, immensus erationis cumulus tandem songeretur.

120. Vas

120. Vascula oris angusti superflusam humoris copiam respul-  
unt, sensim autem influentibus, vel etiam instillantibus complentur.

121. Ex equi cauda setae singulae vel ab imbecilli facile pos-  
luntur extrahi; sed omnes simul vel a robusto non evelli possunt.

122.

Cum autem vita nostra πόνος sit νόσος οὐανος: ani-  
morum remissio quadam atati iuvenili permittenda. Bené Au-  
sonius: ————— nec semper acerbi

Exercet pueros vox imperiosa magistri,  
Sed requies studijque vices data tempora servant.

123. Nihil est, quod laborem continuum ferre possit. Quin  
et ea quae sensu et anima carent, ut vim suam servare possint,  
velut alterna quiete retenduntur.

124. Prudenter Amasis ad Aegyptios agerè ferentes quod al-  
teram dici partem reipubl. daret, alteram ocio, iusu, voluptate  
transmitteret: Arcus, inquit, si opus est intenditur, si inten-  
das semper rumpitur.

125. Hoc sine non tantum aliquid ocy, sed etiam ioci libera-  
les, et lusus ingenui non gravatim adolescentia concedendi.

126. Longius prossiliunt illi, qui paullulum regressi spiritum  
collegerint: alacriores ad studia redimus, si interquiescere non-  
nunquam liceat.

127. Maximoperè vero caveant magistri, ne intempestivis  
lucubrationibus, et importunitate vigilijs etatem puerilem mace-  
rent, exhaustant, conficiant: quamvis Epimenidis, et Endya-  
mionis somnum minimè probemus.

128. οὐεγνία valetudini officit, mentis aciem obtundit, stu-  
diorum nauseam relinquit.

129. Cur quietem moderatam invideamus ijs, qui Ecclesiae  
quondam, et reipubl. causa plurimas noctes insomnes trans-  
gere cogentur?

130. Hoc velut è tripode responsum meminerint omnes: Ita  
vivendum, ut diu vivere, ita discendum, ut diu discere, ita  
labo-

laborandum, ut diu laborare possis. Neq; tamen necessitati  
legem imponimus.

131.

Nihil ad alliciendum, & tenendum animos auditorum  
efficacius, quam si Gratiae Musis iungantur pulcherrimo coniu-  
gio: h.e. si omnia quæ docenda sunt honesta quadam oblectati-  
one condiantur, & incundis amboꝝ auctor edulcentur, quod non  
tantum Poetis occinendum, sed iis omnibus qui docent alios,  
ingerendum.

132. Scholarum ἐγγανέα non temerè ludos appellant:  
sed quod literæ per tuſum instillanda sint, & quasi aliud agen-  
do, ut fallentes doceamus, præfertim si pueri tenelli sint erudi-  
endi.

133. Hic tamen locum illud habet quod apud Plutarchum  
Corinna Pindaro subiicit: manus serendum non toto sacco;  
& cavendum ne scholæ circulis aut trivij & quibuslibet tabernis  
similes evadant.

134.

Deniq; non tam verberibus, & plagiis, quam laudibus &  
honorum præmijs, & aemulacione honesta iuniores ad diligentiam  
inflammandi sunt.

135. Cum enim omnes trahamur laudis studio. & optimus  
quisq; maximè gloria ducatur, mirum non est, honorem artes  
alere, & ea iacere semper, quæ apud quosq; improbantur.

136. Nec quidquam est, quod animos generosos tam à flagi-  
tij; submoveat posse, quam metus dedecoris, & ignominiae.

137. Sed modus in his optimus. Laudes perpetue & nimia  
φιλαυτίav & ignaviam efficiunt, quod de principum liberis  
Carneades q̄ritur; vituperationes impudentiam & αὐαλγητίav.

138. Aemulatio quam ἀγάδην vocat Hesiodus & certamen  
πεοδεῖas etiam Margiten ipsum acriorem & alacriorem red-  
dere potest. Ita Miltiades trophæum noctu quiescere Themis-  
stoclem non patiebatur.

139. Pueri an minis terrendi sint & flagris cohercendi que-  
suum

suum fuit. De minis nemo fere dubitat. Leoni, si cadas catellum,  
terror incutitur: cur panas delinquenti non liceat comminari?

140. Plagas quod attinet, ait Chrysippus, negat Quintilianus,  
& in uiriusq; sententiam & alijs concedunt.

141. Qui negant, his ferē pugnant rationibus: quod deformē  
sit & servile: quod plagi non corrigitur, qui obiurgationib; emē-  
dari nequeat: quod frangat & abyciat animos, ijsq; lucis fugam,  
& tedium afferat, prasertim, si meminerint eorum, que vapu-  
lantibus deformia dictu exciderint.

142. Cato certè quisum ipse filium instituit, se ferre posse ne-  
gabat, à servulo pueri aures vellicari. Idem putabat cum, qui ux-  
orem aut liberos pulsasset, impium esse perinde, ac si sanctissimis  
Deorum templis manus intulisset.

143. Contra qui sentiunt, omnium prope scholarum consuetudi-  
nem ipsam necessitatem, & sacrarum quoq; literarum suffragia  
producere possunt.

144. Sed nodus hic Gordius non est, neq; difficulter solvi pote-  
rit.

145. Multi sunt Timones σκυθεωποι, quos iures ex antro Tro-  
phonij prodijse, & plagosi Orbiliij, quibus obsonium est, etiam levissi-  
mas ob culpas in pueros simul & adultos in uehi minis, debacha-  
ris flagris, desavire scuticis.

146. Quorum ad facies cadaverosas misellos non secus trepi-  
dare videas, quam si caput Gorgonis intueantur, aut Empusam  
quandam ex inferis prodeuntem conspiciant.

147. Eorum si ludos scilicet ingrediare, ad inferos virgilianos  
descendisse videberis.

148. Hi verò μιτάρθεωποι non erudire pueros, sed asinos agere  
decebant. Faciunt ut atas illa tenella literas odio incipiat habere,  
priusquam illa quid sint, animadverte cœperit.

149. Idem in causa sunt, ut animi ex ingenuis serviles, ex al-  
lis humiles, ex erectis abiectissimi efficiantur.

150. In multis tamen ea vel petulantia est, vel segnities plus-

C

quam

quam asinina, ut nec spē honorum duci, nec blandicijs flecti, nec minis terrori possint: sed more Phrygum non nisi plagijs emendari velint.

151. In hos si flagra stringas, nihil facies aliud, quam medicus, qui interdum ad urendum & secundum invitus accedit.

152.

Ex his omnibus colligere facile possumus, & intelligere, quam verē Cicero dixerit: nullum munus reipub. afferre maius melius ve nos posse, quād si doceamus, atq; erudiamus iuventutem.

153. Interim eorum annona per quam est chara, qui Spartam hanc ita quidem, uti par est, ornare velint & possint.

Multi thyrifigeri, sed pauci Bacchi:

Nec quilibet Corinthum navigaverit.

154. Aut si qui peritiores, & diligentiores sunt, eorum tamen τέχνης σέργει τύχη, qua cum Pluto ad nequissimos plerung; diversit.

155.

Sub finem queri potest: utrum prestabilius sit, domi pueros instituere, an publicas ad scholas mittere?

156. Hoc posterius & Legislatoribus clarissimarum civitatum, & eminentissimis auctoribus probatur.

157. Publicè qui docent plerung; meliores sunt, & liberiores quam illi pedanei in umbra, & solitudine magistri. Meliores, quia publica censura lecti: liberiores quia liberorum querelas, & præcipites matrum iras minus verentur.

158. Neg, tantum mentis & spiritus concipere potest magister singulis praesentibus, quam multis congregatis. Optimè Quintilia. lib. r. cap. 3. Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

159. Sed ne vitiosam adornemus σύγκρισιν, cum paribus paria conferemus. Praeceptores utring; periti sint, & parati, nec tam in institutio privata publica comparari poterit.

160. Qui in luce Ecclesia & reipubl. quōdam versari voluerit, esuerat iam à tenero non reformidare homines, nec in cœtu, cum non opus est, pallescere, & pudescere.

Excis

161. Excitatur autem & attollitur mens honestis in congressibus: in latebris vero languescit, & velut in opaco situm trahit.

162. In illis qui educantur, si prodeundum sit in publicum, solent & lucem ferre possunt, cum apud multos ea didicerint, quae apud multos facienda sunt.

163. Qui paternis adibus veluti Cquacaso Prometheus affixi fuere, cum proferenda sunt studia, caligant in sole, & omnia nova offendunt, nec inter multos ea possunt facere, que inter paucos didicere.

164. Aut si qui confidentiores sunt, illi persuasione inani emescunt. Necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Schola vero publica modestiae sunt officinae.

165. Accedit quod iij, qui studijs iisdem simul initiantur, amicitias ad senectutem usq; firmissime colunt.

166. Praterea congressus non hominibus tantum, sed mutis quoq; animalibus naturalis est.

167. Insuper domi ea sola discunt pueri, quae ipsis precipiuntur: in scholis etiam quae alijs, sive literas, sive mores spectes.

168. In ludis publicis emulatio dominatur, qua cum ducere classem temper cupiat, dici non poset, quam acres ad studia facies subdat.

169. Vites arboribus appliciteramos inferiores primum apprehendendo in cacumen evadunt: ita pueruli condiscipulorum imitacione se paullatim tollunt, & quasi in pedes erigunt.

170. Deniq; longè maior in cœtu laudum & vituperationum cœgeyda, quam si illa solis in umbra occinantur.

171. Si tamen in pueris informandis vel in scitia vel negligentia peccetur; satius est domi, quam foris peccari.

172. Illic vitijs paucioribus, hic pluribus alumnus effuscat: illic ab uno præceptore, hic & pluribus à sodalibus corrumpetur.

173. Si proba sit institutio domestica, sed vitiosa publica: quis sum non videt illam huic preferendam.

174. Sed his duo potissimum obijci solent. Primum, quod pueri in turba etatis eius, quæ ad vicia maxime prona, facile aliquid

labis aspergitur. Alterum quod præceptor liberalius uni tempus impendere, quam inter plures partiri posse videtur.

175. Plumbi pugiones. De Institutione publica, que moribus non officiat verba fecimus. Et pleriq; vitia non e scholis accipiunt, sed in scholas & familiis privatis afferunt.

176. Deinde modicum est tempus quod impenditur uni, cum soli pleriq; scribant, legant, cogitent, ediscant. Ideoq; per plures ire facile potest, qui publicam scholam aperuerit.

177. Quin & pleriq; hanc conditionem habent, ut eadem vox simul ad omnes perferantur. Non enim vox illa præceptoris, ut cœna minus pluribus sufficit, sed ut sol universis idem lucis calendaris largitur.

178. Sed tamen emendationi, & dominicæ scholastica numerus obstat.

179. Sit hoc incommodum: sed eiusmodi tamen est, quod infinitis propè commodis pensatur.

180. Nec eò mittendi pueri, ubi propter multitudinem negligantur. Si pauciores sint magistri, non sit maxima puerorum turba: si maior dissentium frequentia, plures quoq; puerorum Ephori conducendi.

181. Et hæc quidem de quæstione, quam initio posuimus affrenda fuere, pauciora si spæctes argumentum, plura si nostrum institutum, neg, pauciora, neg, plura, si studiose inventutis, quod feramus, emolumentum.

## Q V A E S T I O N E S.


I. Quo anno ætatis pueri primūm instituendi?


II. An præceptores mutare sæpius utile sit?

III. An in patria potius, quam extra patriam informandi?

F I N I S.







ES  
ECTA  
NSTITV-  
ENTVTIS  
QVAE DOCERN-  
o publicè di-  
ntur:  
IDE  
EGANGO  
ERRO:  
DENTE  
PETRAEO  
OLSATO:  
arij tempore &  
Iueto.

